



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

10. De statu, &c. Sylvæducensem in Brabantia Sedem Episcopalem erigit,
Archiepiscopatus Mechliniensis Suffraganeam, Ecclesiamque Collegiatam
Sancti Joannis Evangelistæ, ibidem designat Cathedralem, & ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem præfatam etiam per viam generalis Legis, & Statuti perpetui, nec non initi, & stipulati contractus, seu quasi, & alias sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam supradictorum, & quorumcumque aliorum, ac etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, nec non consistorialiter, & alias quomodocumque, & qualitercumque, ac quotiescumque concessis, confirmatis, ac etiam iteratis vicibus innovatis, ac concedendis, nec non quibusvis specialibus, vel generalibus reservationibus, etiam mentalibus, expectativis, & aliis gratis, unionibus, annexionibus, & incorporationibus perpetuis, vel temporalibus, absque consensu Coadjutorum deputationibus, nominationibus, citra accessus, & regressus facultatibus, Litteris, Mandatis, Concessionibus, & Indultis quibuscumque, etiam cum provisionibus, & aliis dispositionibus, etiam Cardinalibus, ac etiam nostris antiquis, & descriptis familiaribus, etiam Imperatoris, Regum, Ducum, aut aliorum Principum contemplatione, vel intuitu, seu in eorum, aut Ecclesiarum, Monasteriorum, ac aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum, vel etiam in ullius favorem, aut etiam ob remunerationem laborum, Nobis, & Sedi præfatæ impensorum, aut in recompensam Jurium cessorum, vel oblatorum, aut alias quomodolibet, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, etiam attestativis mentis nostræ de illis non revocandis, aut suspendendis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, de Monasteriis, Præposituris, Decanatibus, Archidiaconatibus, Cantoria, Penitentiaria, Scholastria, Theauraria, ac Canonicatibus, & Præbendis, etiam translatis, unitis, & suppressis, ac Cappellaniis, & aliis Beneficiis hujusmodi concessis hæcenus, & in posterum concedendis, quos, & quæ, illorumque omnium vim, & effectum quoad hoc omnino suspendimus, & in Monasteriis, Præposituris, Decanatu, Archidiaconatu, Cantoria, Penitentiaria, Scholastria, Theauraria, ac Canonicatibus, & Præbendis, Cappellaniis, & aliis Beneficiis hujusmodi effectum sortiri, aut locum sibi vindicare non posse, neque debere decernimus.

Illisque, ac Statutis, Privilegiis, Indultis, & Litteris supradictis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi presentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permanens, hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus contrariis quibuscumque.

Aut si aliqui in Morinensi, & Furnensi Ecclesiis præfatis in Canonicos sint recepti, vel ut recipiantur insistant, seu si super provisionibus sibi faciendis de Canonicatibus, & Præbendis ac Dignitatibus ipsarum Ecclesiarum, ac hujusmodi speciales, vel pro aliis Beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus generales dictæ Sedis, vel Legatorum ejus Litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem Litteras, & Processus habitos per easdem & inde sequuta quæcumque ad Monasterium, Præposituras, Decanatum, Archidiaconatum, Penitentiariam, Cantoriam, Scholastriam, Theaurariam, ac Canonicatus, & Præbendas, ac Cappellanas, & alia Be-

neficia volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assequutionem Canonicatum, & Præbendarum, ac Dignitatum, vel Beneficiorum aliorum, præjudicium generari, & quibuslibet aliis Privilegiis, Indultis, & Litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus, quorumque tenoribus existant, per quæ presentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris Litteris mentio specialis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, assignationis, suspensionis, extinctionis, translationis, erectionis, institutionis, unionis, incorporationis, applicationis, appropriationis, reservationis, statuti, ordinationis, inhibitionis, decreti, mandati, suspensionis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo sexagesimo, quinto Idus Martii, Pontificatus nostri, anno secundo.

Subsignatum erat Fed. Cardinalis
Cæsius.
Cæsar Glorierius, A. de Alexiis.

Sylvæducentem in Brabantia Sedem Episcopalem erigit, Archiepiscopatus Mechliniensis Suffraganeam, Ecclesiamque Collegiatam Sancti Joannis Evangelistæ ibidem designat Cathedralem, & pro dote Episcopi constituit Abbatiam Tongerloensem, Ordinis Præmonstratensis, in Campania: anno 1560.

V.
Ex Oper.
Diplom.
Miræ
Tom. II.
p. 93.

PIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

DE Statu omnium Ecclesiarum, præsertim Cathedralium insignium noviter erectarum, prosperè, & feliciter dirigendo attentius cogitantes, ad ea libenter intendimus, per quæ illarum conservationi, decori, ac venustati, ac præsertim illis præsentium commoditati, ac aliorum in eis divinis Officiis vacantium opportuna subventioni consulatur.

Et interdum ea, quæ à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, super his consultè gesta fuerunt, ex saniori Consilio immutamus, ac desuper disponimus, prout & temporum ac personarum & Regionum qualitatibus diligenter consideratis conspiciamus in Domino salubriter expedire.

Cum itaque (sicut fide digna relatione accepimus) postquam felicis recordationis Paulus Papa Prædecessor noster, providè considerans, eam partem inferioris Germaniæ, quæ Charissimo in Christo Filio nostro Philippo, Hispaniarum Regi Catholico hæreditario jure etiam tunc subjecta erat, paucos habere Episcopos, nullumque Metropolitanum, qui eam regerent, uti illius amplitudo, & frequentissimorum Oppidorum celebritas, ac longè, latèque distitorum Castrorum, & Pagorum suorum copia, animarumque multitudo, varium item idioma, & vitæ institutum, ac denique temporis deplorata ob hæreticos conditio expostulabant.

Hisque, & aliis gravibus causis eum impellentibus, volens periclitanti in partibus illis fidei Catholice succurrere, pioque desiderio dicti Philippi Regis satisfacere, habita, sicut rei magnitudo postulabat, cum Fratribus suis, de quorum numero tunc eramus, deliberatione matura, de eo-

rum Consilio, & Apostolica potestatis plenitudine.

Cameracensem, Trajectensem, Atrebatensem, & Tornacensem Ecclesias, Civitates, & Dioceses à Remensi, & Colonienfi Provinciis, quibus tunc erant Metropolitanò iure subiectæ, ac Mechliniense, Buscoducense, ac diversa alia tunc expressa Oppida insignia huiusmodi regionis, à sua quaque Diocesi, & Provincia perpetuò segregaverat, & diviserat, nec non Mechliniense, & Buscoducense, & reliqua Oppida prædicta sic divisa in Civitates:

Cameracensem, & Trajectensem, tunc Episcopales Sedes, ac olim Collegiatam Sancti Rumoldi Mechliniensem, in Metropolitanas, & Sancti Joannis Buscoducensem, cæterasque aliorum Oppidorum in Civitates erectorum prædictorum Ecclesias, in Cathedralibus Ecclesiis, pro totidem Archiepiscopis, & Episcopis, qui suæ quisque Ecclesie præsent, nec non Mechliniensi, & Buscoducensi Ecclesiis, Civitatibusque prædictis certos tunc expressos districtus, per Nuntium suum postmodum ab eo illic mittendum, limitandos, pro sua cujusque Diocesi perpetuò concesserat, nec non Ecclesie Mechliniensi prædictæ Ecclesiam, Civitatem, & Diocesim Buscoducensem, huiusmodi inter alias pro sua Provincia adjunxerat.

Præfato quoque Philippo Regi, ejusque Successoribus, qui pro tempore ipsius Regionis in temporalibus Domini essent, Jus nominandi Romano Pontifici pro tempore existenti personas idoneas, & alias certis tunc expressis modo & forma qualificatas, ad Buscoducensem, & alias Ecclesias erectas prædictas, tam à primæva earum erectione huiusmodi, quam ex tunc deinceps, quotiescunque illas vacare contingerit, per eundem Pontificem in Archiepiscopos, & Episcopos, ad nominationem huiusmodi ordinandos, in perpetuum reservaverat per quasdam sub plumbo, deinde per alias suas in forma Brevis Litteras, Venerabili Fratri nostro, tunc suo, Salvatori Episcopo Cluinenfi, suo, & Apostolicæ Sedis Nuntio in partibus illis dederat in Mandatis, ut personas idoneas, quæ dictas Provincias, & Dioceses distinguerent, & limitarent, ac dotem dictarum Ecclesiarum à Monasteriis, & Præposituris sub illis consistentibus dismembrarent, cum potestate omnia in his necessaria faciendi vice sua deputarat.

Dilectus Filius noster Antonius Sanctæ Romanæ Ecclesie Presbyter Cardinalis, tunc Episcopus Atrebatensis, & quatuor alii scientia, & probitate insignes, quos ipse Salvator Episcopus, & Nuntius, dicto Prædecessore interea de medio sublato, prætextu Mandati, & posteriorum Litterarum huiusmodi substituerat, licet forsitan eorum aliqui de illis personis non essent, quæ ad id Canonicè subdelegari poterant, facta nihilominus diligenti rerum indagine, ac omnibus maturè pensatis, animadvertentes, quod per dismembrationes Bonorum à Monasteriis, & Præposituris præfatis, si fierent, cultus Monasticus non mediocriter læderetur, ipsa Monasteria, & Præposituras Mensis Ecclesiarum prædictarum pro earum dote, ad hoc ut Episcopi etiam illorum curam perinde atque suam propriam perpetuò gererent, potiùs esse unienda, ac designationes, & limitationes Provinciarum, & Diocesum, divisionesque, ac distributiones Oppidorum, & Jurisdictionum in nonnullis partibus ipsarum Diocesum, commodiores illis, quæ per primò dictas Litteras statuuntur, nec non Constitutiones, & assignationes dotium: Et denique numerum Personarum, ac Dignitarum, & Præbendarum, Beneficiorum, & Officiorum, Statum quoque, & formam, in prædictis Ecclesiis, etiam per huiusmodi dismembrationes, applicationes, suppressiones, translationes, novas Institutiones, & alias in universum accommodatas rationes habendas censuerunt, ac super majori illorum parte processus, & Scripturas, seriè digestis re-

bus omnibus, formandos curaverint, & inter alià dictæ Ecclesie Buscoducensi, & pro tempore existenti Episcopo Buscoducensi.

Buscoducis, Bommelia, Sevenbergen, Helmonde, Endovia, Heusden, Worcomium, Mons S. Gertrudis, Meghem, Ravesteyn, Ost, Oppida, nec non Roda S. Odæ, Oestervicke, Boxtel &c. Villagia, seu Pagos, pro sua Diocesi designaverunt, prout in processibus, & scripturis, ac singulis Litteris prædictis plenius continetur.

Nos qui dudum inter alia voluimus, quod petentes Beneficia Ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum ad minus valorem, secundum communem æstimationem, etiam Beneficii, cui aliud uniri peteretur, alioquin unio non valeret, & semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interest, quique nuper Monasterium Beatæ Mariæ Tongerloënse Præmonstratenfis Ordinis Buscoducensis Diocesis, certo tunc expresso modo vacans, Mensæ Episcopali Buscoducensi, Auctoritate Apostolica perpetuò univimus, anneximus, & incorporavimus.

Attendentes quod si præcis temporibus, dum Populi ejusdem Regionis sensim accrescebant, de novis Ecclesiis Cathedralibus, optimisque Præsulibus opportuno tempore prospectum fuisset, profecto tot perniciofa hæresum dogmata, quibus Religio Christiana nunc passim laceratur, atque affligitur, haud ita violenter invaluisse.

Nunc autem, cum ad illa arcenda, & extirpanda, ac simul populos ipsos in sinceritate Fidei continendos, dictus Prædecessor nulla alia, quam supradicta magis opportuna remedia potuerit adhibere, ut illa juxta cordis sui, atque nostri desiderium, promptos & felices foriantur effectus, nostri Ministerii partes adjicere præmissis, illaque omnibus, quibus possumus, rationibus juvare, & promovere volentes, nec non Mensæ Episcopalis Buscoducensis, ac decem Canonicatum, & Præbendarum, ac decimarum, infra scriptorum fructuum, reddituum, & proventuum veros annuos valores, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, continuis etiam hortationibus dicti Philippi Regis, id pro salute dictorum Populorum enixè prosequentis, excitati.

Motu proprio, & ex certa nostra scientia, ac de simili Apostolica potestatis plenitudine, divisionibus, limitationibus, & distributionibus dictorum Subdelegatorum, in prædictis Processibus specificatis, tanquam in melius reformatis, inhaerendo, ac concessionem, & assignationem per priores Litteras Prædecessoris nostri huiusmodi factas, quarum veriores tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, quoad infra scripta immutando, omnia & singula Oppida, Pagos & Villagia in posteriori designatione Subdelegatorum huiusmodi comprehensa, cum toto eorum districtu, ac universis eorum Castris, Roccis, Ecclesiis, Monasteriis, Collegiis, Parochialibus, Hospitalibus, Capellis, Officiis, & personis Ecclesiasticis, Sæcularibus, & Regularibus, ac Populis, & quibuscumque aliis sub eis comprehensis, præfate Ecclesie Buscoducensi, juxta designationem illi per præfatos Subdelegatos factam huiusmodi, dicta auctoritate tenore præsentium perpetuò concedimus, & assignamus.

Et insuper à Parochiis de Ghilfen à Maters, aliàs in de Haghe, olim Leodiensis, nunc verò Antverpiensis Diocesis, quarum collatio, seu alia dispositio ad pro tempore existentem Abbatissam Monasterii de Thoren asseritur pertinere, ac à de Gervven prope Helmonde ejusdem, vel alterius Diocesis, Parochialibus Ecclesiis, cum primùm illas per cessum, vel decessum modernorum illas obtinentium, aut aliàs quovis modo, & ex cujuscumque persona vacare contingerit, omnes, & singulas decimas, quæ in siligine ut plurimum consistunt.

Ita tamen, quod pro singulis Rectoribus ipsarum Parochialium Ecclesiarum viginti modii filiginis annuatim detrahantur, & ipsis Rectoribus assignentur, cum quibus ipsi & alii emolumentis earumdem Ecclesiarum se honeste sustentare poterunt, ex nunc, prout ex tunc, & e contra, auctoritate, & tenore prædictis perpetuo dismembramus.

Et ut Episcopus Buscoducensis pro tempore existens Ecclesiam suam Dignitatibus, Officiis, & Personis Ecclesiasticis Litterarum scientiâ præditis iugiter decoratam habeat, ac in dicta Diocesi Buscoducensi uniformis iustitiæ ministrandæ usus existat, in eadem Ecclesia Buscoducensi, unum Archidiaconatum pro uno Archidiacono, qui post cessum, vel decessum eorum, qui nunc sunt in illa parte Diocesis Buscoducensis, talem habeat jurisdictionem, & administrationem, qualem hæcenus habuit Archidiaconus Bruxellensis in Diocesi Cameracensi, servando concordiam, quam cum Episcopo hæcenus servavit, & exinde cum Archiepiscopo suo Mechliniensi perpetuo servaturus est.

Ac unum Archipresbyteratum Civitatisensem, pro uno Archipresbytero, qui Curam habeat Rectorum Parochialium Ecclesiarum, & Sacramentorum, & verbi Dei in dicta Civitate Buscoducensi.

Et unam Penitentiarium Diocesanam nuncupandam, Dignitates inibi pro uno Penitentiaro Diocesano nuncupando, qui Curam Conscientiarum Populi per universam Diocesim Buscoducensem specialiter habeant, quatenus ibidem hæcenus erecti non sint, etiam perpetuo erigimus, & institui-mus.

Præterea statuimus, & ordinamus, quod ex triginta Canonicatibus, & triginta Præbendis, aut circiter, dictæ Ecclesiæ Buscoducensis decem, quos primo per cessum, vel decessum illos obtinentium, apud Sedem Apostolicam prædictam, aut alias vacare contigerit, vel etiam actu nunc vacant, & devoluti, affecti, Sacerdotales, vel litigiosi existant, idem Episcopus unum, & unam illorum primo vacaturos, tanquam Mensæ suæ Episcopali perpetuo unitos (& quos Nos similiter ex nunc, prout ex tunc, & e contra, dicta auctoritate Apostolica ipsi Mensæ perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus,) obtinere, illorumque ratione persona Capitularis esse, vocemque, & auctoritatem etiam in Capitulo super Decanum, & Canonicas habere:

Reliqui vero novem Canonicatus, & Præbendæ prædicti tribus Magistris, aut Licentiatibus in Theologia, & tribus Doctoribus Decretorum seu in eis Licentiatibus, ac tribus aliis Nobilibus ejusdem Diocesis, & in Jure Canonico, vel Theologia Doctoratu, aut gradu Licentiatu in eis in famosa quapiam Universitate Studii Generalis, secundum tenorem primodictarum Litterarum promotis, quibus dicti decem Canonicatus, & Præbendæ perpetuo affecti permanent, ordine præmissis servato, in perpetuum concedi, & assignari debeant.

Quodque ad sex priores tam Nobiles, quam alii non Nobiles, ut præfertur, tamen qualificati, ad reliquos vero tres Canonicatus, & tres Præbendas ex reliquis novem Canonicatibus, & Præbendis hujusmodi nulli nisi Nobiles, & Graduati, ut præfertur, assumi possint; Ac omnes, & singuli ratione suarum hujusmodi Præbendarum Consilium & operam in negotio Ecclesiæ, & Religionis, cæterisque difficultatibus pro tempore emergentibus, quoties ab Episcopo prædicto requisiti fuerint, tam conjunctim quam divisim, præstare teneantur.

Ac unus Archidiaconus ad Archidiaconatum, & alius Archipresbyter ad Archipresbyteratum, nec non reliquos ex dictis Graduatis Penitentiaris ad Penitentiarium hujusmodi ad Nominationem dicti Episcopi assumi, & omnium primi post Episcopum vacaturos Canonicatus, & Præbendas prædictos simili ordine consequi debeant.

Ut autem de Viris spectabilis doctrinæ, & probitatis, ad ædificationem Ecclesiæ Dei, accuratius prospiciatur, quod ipsi novem Canonicatus, & novem Præbendæ hac prima vice per præfatum Episcopum duntaxat, & deinde quoties illi futuris temporibus vacaverint, ut præfertur, ad electionem Episcopi, & aliorum Graduatorum prædictorum superstitum per eos conferantur, & in hujusmodi electione suffragium Episcopi non plus juris, sive momenti, quam cuiusvis Graduatorum habeat, nisi vocum paritate occurrente, tuncque iterarum ad hoc Episcopi suffragium paritatem vocum hujusmodi dirimat.

Quodque posthac ipsi novem Canonicatus, & novem Præbendæ, sub nullis specialibus, vel generalibus, etiam mentalibus reservationibus, affectionibus, etiam in Corpore Juris clausis, nec non Expectativis, Mandatis, Facultatibus, Indultis de providendo, commendando, ac alias disponendo, primariis precibus, aut aliis gratis præventivis, per Nos, aut Romanos Pontifices pro tempore existentes, & Sedem prædictam, vel ejus Legatos, etiam consideratione, vel intuitu, aut ad instantiam Imperatoris, Regum, ac ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & ex quacumque causa, quantumlibet urgenti, pro tempore factis, & concessis comprehendantur.

Nec etiam tamquam vacantes apud Sedem Apostolicam prædictam, aut ulla alia ratione generaliter, vel specialiter reservari, nec illorum vacatione per resignationem, etiam ex causa permutationis, apud Sedem prædictam pro tempore occurrente, per Romanum Pontificem, aut Sedem hujusmodi, de illis provideri, aut alias quomodo disponi possit, sed forma electionis præmissæ omni tempore servari, nullaque Causa infringi debeat.

Quodque unus ex novem Canonicis prædictis Magister, seu Licentiatius in Theologia, & alter Decretorum Doctor, seu etiam Licentiatius, Seniores ratione suarum Præbendarum facultatem habeant visitandi, per universam Diocesim Buscoducensem prædictam ab Episcopo, cæteri vero Canonici Graduati prædicti, quancumque requisiti fuerint, illis assistere teneantur.

Ac ex reliquis Senioribus Canonicis prædictis duo in Theologia, ac unus in Jure Canonico Graduati, ut præfertur, una cum Archidiacono, curam habeant examinandi promovendos ad sacros Ordines, & admittendos ad Curam animarum, quacumque auctoritate illi provisi fuerint, neminem nisi idoneum, & sequæ personalem residentiam facturum mediante juramento promittentem, admittendo.

Et quoniam impia hæreticorum Studia, temporisque malicia viros doctos ab Ecclesiis suis diutius abesse non patiuntur, quod si Canonici Graduati prædicti ab Ecclesia sua, nisi ab Episcopo vel Capitulo missi, per duos menses abfuerint, integros suæ Præbendæ fructus illius anni amittant, & eidem Capitulo cedant.

Ac omnes proventus singularum Præbendarum dictæ Ecclesiæ in duas æquales partes dividantur, quarum altera pro quotidianis distributionibus, his solis, qui divinis Officiis in Choro deservierint, & inibi à principio usque ad finem, necessitatis Causâ exceptâ, permanerint, ministrari debeat, nec quisquam ulla dispensatione, vel alio privilegio Apostolico, quacumque Causâ impetrato, vel concessio, sese à residentia hujusmodi eximere possit.

Cæterum Ecclesiæ Civitatis sub Cura dicti Archipresbyteri Civitatisensis, extra verò eam, & in Diocesi Buscoducensi hujusmodi existentes, vel sub suis Decanatibus, prout hæcenus, remaneant, vel meliori modo, arbitrio Episcopi distribuis, ipsorumque Decanatum Decani, salva dicti Episcopi moderatione, emolumenta hæcenus percipi solita percipere possint.

Districte inhihentes Archiepiscopis, Episcopis Abbatibus, cæterisque Locorum Ordinariis, nec non Conventuum Superioribus, & Personis, illicque, vel illis, ad quem, seu quos decem Canonicatum, & Præbendarum affectorum prædictorum collatio, provisio, & alia dispositio communiter, vel divisim pertinet, ac quibuscumque aliis, cujuscumque conditionis, dignitatis, status, & ordinis existentibus, in virtute Sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis majoris, aliisque Sententiis, Censuris, & Pœnis, nec non privationis omnium dignitatum, & inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, ne de decem Canonicibus, & Præbendis prædictis, si vacant, aut cum vacaverint, ut præfertur, cuiquam providere, aut alias disponere, seu præmissorum effectus, & executionem in aliquo quantumcumque modico impedire, aut molestiam, vel injuriam quampiam irrogare quoquomodo præsumant.

Ac decernentes ex nunc plenum Jus in præmissis eidem Episcopo, & Graduatis omnino acquisitum esse, & super his beneficio Regularum de non tollendo Jure quæsito, ac de annali, & triennali possessione, nec non privilegiis omnibus, quibus diuturni possessores pacifici quomodolibet utantur, potiuntur, & gaudent, plenariè uti, potiri, & gaudere.

Ac decem Canonicatus, & decem Præbendæ affecti prædicti, per quoscumque etiam prætextu mandatorum de providendo, nominationum, facultatum, indultorum, etiam juxta concordata prædicta, expectatarum, & quarumcumque aliarum gratiarum quoquo modo acceptari non posse.

Et nihilominus quascumque acceptationes, collationes, provisiones, commendas, uniones, & alias dispensationes de eis, aut eorum aliquo, etiam per Nos, & Sedem prædictam, quomodolibet factas & faciendas, nullius profus roboris, vel momenti fore, nullumque per eos cuiquam Jus acquiri, seu etiam coloratum titulum possidendi tribui posse, ac concessionis, assignationes, divisiones, ac dismembrationes, separationem, erectionem, institutionem, statutum, ordinationem, unionem, applicationem, appropriationem, cæteraque præmissa ex nunc omnimodum effectum sortita esse, & cæteri, ac sub quibusvis revocationibus, vel limitationibus, etiam unionum, & suppressionum, applicationum, appropriationum, etiam effectum non sortitarum, quæ posthac per Nos, vel Successores nostros tam in crastinum assumptionis cujuscumque eorum ad summi Apostolatus apicem, quam alias quomodolibet, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, quocumque tempore fieri, minime includi.

Sed illis non obstantibus in suis vigore, & robore, & efficacia persistere, & quoties illa emanabunt, toties in pristinum Statum restituta, & de novo concessa existere, sicque incommutabilis voluntatis, & intentionis nostræ fuisse, & esse, ac ipsas præfentes nullo unquam tempore de subreptione, vel obreptione, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel alio quopiam defectu notari, aut in Jus, vel controversiam, quacumque causa vel ratione, vocari posse, sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & prædictos Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, in quavis causa, & instantia, sublata eis quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiti debere, & ex nunc irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopo Mechliniensi, & Episcopo Cameracensi, ac dilecto Filio Decano Collegiæ Ecclesiæ Opipidi Beekensis Buscoducensis Diocesis, per Apostolica scripta motu simili mandamus, quatenus

ipsi, vel duo, vel unus eorum, per se, vel alium, seu alios, præfentes Litteras, & in eis contenta quacumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte moderni pro tempore existentis Episcopi Buscoducensis, & aliorum quorum interest, & quomodolibet intererit in futurum, fuerint requisiti, seu aliquis eorum fuerit requisitus, solemniter publicantes, eisque, & eorum cuiuslibet in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra Episcopum Buscoducensem, & alios prædictos, concessionem, assignationem, unionem, annexionem, incorporationem, & applicationem, ac Litteras, & in eis contentis prædictis pacificè gaudere, ac Litteras, & in eis contenta hujusmodi firmiter observari.

Non permittentes illos, seu eorum aliquem desuper per quoscumque quomodolibet indebitè molestari, contradictores quoslibet, & rebelles per Censuras, & pœnas Ecclesiasticas, appellatione postposita compescendo, nec non legitimis super his habendis servatis Processibus, Censuras, & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus, aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Non obstante piæ memoriæ Bonifacii Papæ Octavi Prædecessoris nostri voluntate, quæ cavetur, ne quis extra suam Civitatem, vel Diocesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam dietam sine suæ Diocesis ad Judicium evocetur, seu ne Judices à Sede deputati prædicta extra Civitatem, vel Diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii, vel aliis vices suas committere præsumant, & de duabus dietis, in Concilio Generali edito, dummodò ultra tres dietas auctoritate præsentium ad Judicium non trahatur, aliisque Apostolicis Constitutionibus, & Ordinationibus, etiam reservationis, nec non Cancellariæ Apostolicæ regulis, etiam revocationis, & revocatoriarum innovatoriis, ac in favorem Ordinariorum, ac alias in contrarium quomodolibet editis, & edendis.

Nec non Buscoducensis, & aliarum Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Collegiorum prædictorum, ac ejusdem Præmonstratensis, & aliorum Ordinum, quorum Monasteria hujusmodi existunt, juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis, illis per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem prædictam, etiam per viam generalis Legis, ac Statuti perpetui, nec non initi, & stipulati contractus, seu quasi, & alias, sub quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibusvis, etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, & consideratione, intuitu, contemplantatione, vel ad instantiam præmissorum, & quorumcumque aliorum, seu motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, nec non consistorialiter, ac alias quomodocumque, qualitercumque, & quotiescumque concessis, confirmatis, & etiam iteratis vicibus innovatis, & concedendis.

Nec non quibuscumque specialibus, vel generalibus reservationibus, etiam mentalibus, expectativis, & aliis gratis, unionibus, annexionibus, & incorporationibus perpetuis, vel temporalibus, absque consensu Coadjutorum, deputationibus, nominationibus, citra accessus, & regressus facultatibus, Litteris, Concessionibus, & Indultis, provisionibus, & aliis dispositionibus quibuscumque personis, cujuscumque dignitatis, status, ordinis, gradus, & conditionis existentibus, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, ac etiam nostris antiquis, & descriptis familiaribus, continuis commensalibus, ac Prælatibus domesticis, nec non Romanæ Curie Officialibus, etiam Officia sua actu exercentibus, ex quavis etiam grandi causa, ac

etiam Imperatoris, Regum, aut aliorum Principum contemplatione, vel intuitu, seu in eorum, vel Ecclesiarum, Monasteriorum, aut aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum, vel etiam in ullius favorem, aut remunerationem laborum nobis, & Sedi Apostolicae praedictae impensorum, aut in recompensam jurium cessorum, aut aliam quomodolibet, etiam motu proprio, & ex certa scientia, & de Apostolica Potestatis plenitudine, nec non quibusvis, etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, & caeteris attestationibus mentis nostrae de illis non revocandis, in genere, vel nominatim in specie de dictis Canonatu, & Praebenda concessis hactenus, & in posterum concedendis.

Quas & quae, illorumque omnium vim, & effectum quoad hoc omnino suspendimus, & in dictis Canonicatibus, & Praebendis effectum fortiri, aut locum sibi vindicare non posse, neque debere decernimus, illisque, ac statutis, privilegiis, indulgentiis, & litteris supradictis, etiam si de illis pro illorum sufficienti derogatione, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permanens, hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus contrariis quibuscumque.

Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint, per Litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrae concessionis, assignationis, dismembrationis, erectionis, institutionis, statuti, ordinationis, unionis, annexionis, incorporationis, inhibitionis, mandati, suspensionis, decreti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli eius se noverit incursum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo, quinto Idus Martii, Pontificatus nostri anno secundo.

Sic scriptum erat:

Fred. Cardinalis Caesius.

Deinde sic,

Caesar Glorieux, A. de Alexiis.

XI.
Ex Op.
Dipl. Mi-
rei Tom.
II. p. 993.

Novum erigit Episcopatum in Urbe Brugensi apud Flandros anno 1560. eumque constituit Suffraganeum Archiepiscopatus Mechliniensis, Ecclesiam Collegiatam S. Donatiani faciens Cathedralem, & Mensae Episcopali annectens Praeposituram dictae Ecclesiae, item Abbatiam Thosonam, vulgò Doest, Ordinis Cisterciensis, haut procul Brugis, Bullam Apostolicam exequutioni mandat Cardinalis Antonius Granvellanus, primus Archiepiscopus Mechliniensis.

PIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

EX injuncto nobis desuper Apostolicae Servitutis Officio, ad ea libenter intendimus, per quae Ecclesiarum quarumlibet, praesertim Cathedralium noviter erectarum, decori, & venustati, ac illis praedictarum statui, & opportuna subventioni, cum

Divini Cultus augmento, & animarum Christifidelium salute, valeat salubriter provideri. Ac desuper etiam ea, quae à Praedecessoribus nostris consultè gesta fuerint, & saniori consilio immutando disponimus, prout locorum & temporum qualitas exigit, ac ipsarum Ecclesiarum utilitas persuadet, & id in Domino conspicimus salubriter expedire.

Cum itaque, sicut accepimus alias, postquam felices recordationis Paulus Papa Quartus, Praedecessor noster, providè considerans, eam partem inferioris Germaniae, quae charissimo in Christo Filio nostro Philippo Hispaniarum Regi Catholico haereditario jure etiam tunc subjecta erat, paucos habere Episcopos, nullum verò Metropolitanum, qui eam regerent, uti illius amplitudo, & frequentissimorum oppidorum celeberrimas, ac longè, lateque distitorum castrorum, pagorumque suorum copia, animarumque multitudo, varium item idioma, & vitae institutum, ac denique temporis deplorata ab haereticis conditio exoptulabant, iisque & aliis gravibus causis eum impellentibus, volens periclitanti in partibus illis Fidei Catholicae succurrere, pioque desiderio dicti Philippi Regis satisfacere, habita, sicut rei magnitudo exoptulabat, cum Fratribus suis, de quorum numero tunc eramus, deliberatione matura, de eorum consilio, & Apostolica Potestatis plenitudine, Cameracensem, Ultrajectensem, Atrebatensem, & Tornacensem Ecclesias, Civitates & Dioeceses, à Rhemenfi, & Colonienfi Provinciis, ac Mechliniense, & Brugense, diversaque alia oppida insignia hujusmodi regionis, à sua quoque Dioecesi & Provincia perpetuò segregaverat, & diviserat.

Nec non Mechliniense, Brugense, & reliqua oppida praedicta sic divisa in Civitates, Cameracensem vero, & Ultrajectensem tunc Episcopales Sedes, ac olim Sancti Rumoldi Mechliniensem in Metropolitanas, & Sancti Donatiani Brugensem Collegiatam, caeterasque alias oppidorum in Civitates erectorum praedictorum Ecclesias in Cathedralis Ecclesias pro totidem Archiepiscopis, & Episcopis, qui suae cuique Ecclesiae praesentent: Nec non Mechliniensi, & Brugensi Ecclesiis, & Civitatibus praedictis, certos tunc expressos districtus per Nuntium suum postmodum ab eo illuc mittendum limitandos, pro sua Dioecesi unicuique perpetuò concesserat, nec non Ecclesiae Mechliniensi praedictae Ecclesiam, Civitatem, & Dioecesim Brugensem hujusmodi inter alias pro sua Provincia adjunxerat.

Praefato quoque Philippo Regi, ejusque Successoribus, qui pro tempore ejusdem Regionis in temporalibus Domini essent, jus nominandi Romano Pontifici pro tempore existenti personas idoneas, ac alias certis tunc expressis modo & forma qualificatas, ad Brugensem, & alias Ecclesias erectas, tam ab primava erectione hujusmodi, quam ex tunc deinceps, quotiescumque illas vacare contingeret, per eundem Pontificem in Archiepiscopos & Episcopos ad nominationem hujusmodi ordinandas, in perpetuum reservaverat per quasdam sub plumbo, & deinde per alias suas in forma Brevis Litteras.

Venerabili Fratri nostro, tunc suo, Salvatori Episcopo Clusino, suo ac Apostolicae Sedis Nuntio, in partibus illis dederat in mandatis, ut personas idoneas, qui dictas Provincias & Dioeceses distinguerent, & limitarent, ac dotem dictarum Ecclesiarum à Monasteriis, & Praeposituris, sub illis consistentibus, dismembrarent, cum potestate omnia in his necessaria faciendi, vice sua deputarat.

Dilectus Filius noster Antonius, Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyter Cardinalis, tunc Episcopus Atrebatensis, & quatuor alii scientia & probitate insignes, quos ipse Salvator Episcopus & Nuntius, dicto Praedecessore interea de medio sublato, vigore seu praetextu mandati, & posteriorum litterarum hujusmodi substituerat, licet forsitan eorum

aliqui